

ſufficiente, & peritiam ad illius præſumentes de-  
ciſionem. Quod in cauſis Eccleſiaſticis ſæpius  
euenire ſolet apud laica tribunalia: ex affectio-  
ne ſiquidem ſuperioritatis in iudicando, quæſtio-  
nes de iure ad factum reducunt, quas ad ſe di-  
cunt pertinere, iuxta dicta Titulo 2. numer. 62.  
& 63.

Quinta,  
explorandi  
perſonas,  
cui Regia  
gaza com-  
mittitur.

5 Quinta, explorandi perſonas, quibus Re-  
gia vectigalia locantur, aut venduntur, & eorum  
fideiſſores licet hoc ad Regios Officialis inſe-  
rioris Tribunalis præcipue ſpectet: vt in hoc hu-  
mani reſpectus carnis & ſanguinis, aliæ præ-  
cipuum imperium non habeant, ſed omnia iuxta  
ordinationes Regias, quæ de his diſponunt, ſi-  
deliter tranſigantur. Vbi quidem latam culpam  
ob defectum interuenire poſſe, dubitari nequit.  
Rogo enim miniſtros dictos, an ſalarij proprij  
receptionem ei committerent, de quo omnimo-  
dam ſecuritatē non haberent? Quis hoc cre-  
dat? Ergo in Regio patrimonio adminiſtrando  
ſimilis debet reſpectus inteneri. Quæ eſt optima  
regula grauium Iuril- conſultorum apud Dom.  
Solorzanum in Politicâ pag. 1027. s. Pero ſine  
embargo. Latam quidem culpam ſic omnes ex-  
plicat, vt tunc contingat quando non adhibe-  
tur diligentia circa rem aliquam, quam homines  
communiter ſolent adhibere. Videatur poſt alios  
à nobis adductos ſupra cum P. Leſſio lib. 2. cap.  
7. n. 25. P. Rebellus de iuſtitia Parte 2. quæſt. 10.  
P. Fragofus Tom. 1. pag. 48. & P. Gaſpar Hur-  
tadus Diſput. 5. de Reſtitutione difficult. 1. Atqui  
circa ſecuritatē facultatum ad alicuius curam  
ſpectantium communiter homines ita agunt, vt  
non niſi prudenter reputatis ſecuris commit-  
tantur: ergo cum id in miniſtris, de quibus lo-  
quimur, in caſu prædicto deficiat; lata culpa eſt,  
quam æquiparari dolo aduertunt communiter  
Doctores: pro quo, & P. Azor Tomo 1. lib. 1.  
Cap. 15. quæſt. 5. Vide etiam Titulo præced. n. 77.

Sexta, in-  
formandi  
Regium  
Conſilium.

6 Sexta obligatio eſt informandi Regium  
Conſilium de progreſſu laboris ſui, de quo il-  
lud valde fuit eſtque ſolicitum, iuxta Ordinario-  
nem 52. ex citatis quæ habentur apud D. Eſca-  
lonam in ſine Gazo- phylacij. Cum enim in hoc  
tribunali ingentes ſiant expenſæ pro miniſtro-  
rum ſuſtentatione; ſi eorum labor nihil momen-  
ti alicuius obtinet ad Regium patrimonium con-  
ſeruandum, & ad meliorem formam reducen-  
dum, quàm ea fuit, quæ ante erectionem eius-  
dem habebatur; expenſæ dictæ ſunt priuſ inu-  
tiles, & Rex in negotio magni momenti decipi-  
tur ab iis, quos ipſe diuitis, & honoribus ſtudet  
cumulare; & quidem multi non ſine fundamentis  
magnis tribunal hoc inutile iudicant; vt videri  
poſteſt apud Dom. Solorzanum in Politicâ lib. 6.  
cap. 16. Vnde & de illo tollendo ſæpius in Re-  
gio Indiarum Conſilio actum: nec ſolum inu-  
tile, ſed exitiale ob rationem dictam, magnorum  
ſcilicet ſumptuum in miniſtrorum ſuſtentatione.  
Cum tamen alij contrarium cenſerent; ſi tamen  
miniſtrorum numerus in duplum augetur. Et  
auctus quidem diebus iſtis, omnino tamen ſine  
fructu, quia non viri adlecti quos ætas & expe-  
rientia cum peritiâ neceſſariâ commendarent, &  
licet vnus aut alter ſatis inter eos habeatur ido-  
neus, ij tamen ætate longæui deſeſſuri citò, rem  
tantam in manibus eorum derelinquent, quos

Vires non  
maturas  
in Tribu-  
nal adſci-  
ros quàm  
dolendum.

qui vident, cum Heraclito aut Democrito aut  
dolent aut rident, in munere conſtitutos. Etiam  
cum hæc ſcripta recognoſco, illorum præcipuus  
morte eſt repentinâ ſublatus. Vtinam videant,  
qui videre debent ſi aliquid vident; cum ad eò  
conſpicabilia ſunt, vt ſemicæcorum etiam poſſint  
oculos prouocare.

Septima,  
attentiſſi-  
mus in  
Prætorum  
intuitus.

7 Septima, attentè peruidendi an Prætores,  
præſertim Indorum, Regias arcas, vt dicitur, in-  
tegrarint; & circa rationes ab eis redditas ſpecia-  
liter inquirendi. In hoc enim magni eſſe inſul-  
tus ſolent, & propter varias dependentias inter  
eos, & maiores Rationales diſtincti plura, quæ  
Regij patrimonij incommodis peraguntur: & li-  
cet hoc ad præſata reduci poſſit, oportet tamen  
illud in ſpeciali animaduerti, quia damnum hoc  
cum oppreſſione eſt Indorum ſociatum: defi-  
ciente enim, quod ex tributis ſeu taxis colligi ſo-  
let, periculum eſt iterum vexandi eos, qui iam  
ea, ad quæ tenentur, vſque ad vltimum quadran-  
tem perſoluerunt. Vrgendi ergo Prætores diſti-  
nitione præualidâ, & ad reddendam ratio-  
nem omnimodis conſtringendi, ne eorum pec-  
catis ſatis execrabilibus implicentur. Et mirari  
hoc loco licet Maiores iſtos Rationarios apud  
Regium Indiarum Conſilium conqueſtos ſe non  
poſſe, quæ ad Regium patrimonium ſpectant,  
liquidare, quia in Reſidentis Prætorum, quæ  
in Audiētis recognoſcuntur, ab Auditoribus  
impediuntur, eò quòd cum aliis cauſis, ea, quæ  
ad integrationem Regiarum arcarum pertinent,  
tractantur: vnde cognitio talis iis referuata.  
Poſt hæc autem, vbi tanta Regis noſtri confi-  
dentia diſpicitur, cauſam dictam perfunctoriè  
diſcutere, & cum Regij patrimonij manifeſtis  
diſpendiis priuatos fouere affectus, & ſuperua-  
cua iuriſdictionis titulos ampliare. Et in his qui-  
dem reſtitutionis obligatio eſt, atque etiam  
cum peccatoris dirâ, ac durâ conuulſione, quod  
alij cum voluptatis blandimento deuorant.  
O ſtultam cogitationem! Erit autem obligatio  
non ad integrum debitum, quia illud agrè ſolet  
etiam ab exactiſſimis recuperari; ſed quantum  
ſpei eſſe poterat, iuxta communem ſententiam  
Doctorem, niſi difficilis recuperatio ab ipſo  
Rationario ortum habuiſſet: ſed etiam tunc non  
eſt obligatio ad integritatem, quia etſi ille faci-  
lius, non tamen totaliter recepſſet.

Quæ in-  
de reſtitu-  
tionis obli-  
gatio.

8 Octaua non deſiſtendi ab officij obliga-  
tionibus, nec deſerendi negotium, quod inſtat,  
ob puncta iuriſdictionis, aut præcedentiæ in  
concurſu cum aliis, de quibus nonnulla habet  
Dom. Solorzanus citato loco. Id enim Regi valde  
diſplicebit, patrimonium inquam ſuum ob hu-  
iſmodi vanos prætextus ad tempus negligi, &  
ſic diſpendiis exponi. In eo ergo euentu Prore-  
gis iudicio ſtandum, & Conſilium Regium in-  
formandum, vt quod expedierit ſtatuatur. Quòd  
ſi in cauſa ſit, in quâ Prorex iuriſdictionem non  
exercent, nec locus ille, quem vellet, tribuatur,  
cedat cum exclamatione ſui iuris, & ſibi certò  
perſuadeat id Regi fore gratiſſimum, cum, & tri-  
bunal illud Regium etiam ſit, nec Regia aucto-  
ritas vllum in eiſmodi ceſſione detrimentum  
patiat. Sed iam punctum hoc à Rege deciſum,  
& Rationario præcedentiæ conceſſa reſpectu  
eius, cum quo erat controuerſia. Et vtinam illi

Officio in-  
ſiſtendi,  
iuxta exi-  
gentiam  
negotiorum,  
neque il-  
lud ob  
puncta  
quædam  
honoris  
omittere.

tam

Quale in ſe  
peccatum,  
& reſtitu-  
tionis onus.

tam eſſent de Regio patrimonio, quàm de ſua  
auctoritate ſolliciti. Non eſſet autem in contro-  
uerſiâ aliqua peccatum graue in concurſu deſſe,  
expectato Concilij Regij decreto, ſi per aliquem  
æquè bene poſſet talis functio ſine vllò ſcilicet  
Regij cenſus detrimento, ſemel, aut iterum exer-  
ceri. Aliàs peccatum erit graue cum reſtitutio-  
nis obligatione ob damnum emergens, & etiam  
pâris ſalarij ob miniſterium denegatum; cum  
excusatio ab illis adducta, leuis ſit, vt vidimus, vn-  
de eos nequit releuare. Quiddid profectò hono-  
ris illis a Rege tribuitur, propter ſui patrimo-  
nij reſpectum tribui manifeſtum eſt. Plus ergo  
patrimonij ſui curam, quàm eorum honorem in-  
tendit; quando vnum rationem mediæ habet,  
alterum finis. Cum ergo punctum aliquod hono-  
ris occurrat, negari nequit quin Regij patri-  
monij cura illi veniat præferenda; cum præſertim  
ad eò parui momenti ſit; pro quo ita certare, vt  
ad ſuſpenſionem miniſterij veniatur, nullâ caue-  
tur lege. Quòd ſi magni momenti exiſtiant,  
& ſibi penitus indecorum, officium dimit-  
tant, erunt enim, qui cum eò onere libentiſ-  
ſimè admittant: ſicut dubio procul admitte-  
rent ipſi, ſi ita cum anxie prætererent, oblatum  
fuiffet.

Circa con-  
iugia con-  
tra Regiam  
diſpoſitione  
non contra-  
henda.

9 Nona, circa coniugia: in quo quidem  
non eſt ita rigidè cum eis actum, ſicut cum Au-  
ditoribus: tantum enim prohibentur contrahere  
cum filiabus; ſororibus, aut coniunctis intra  
quartum gradum; Officialium Regiorum, infe-  
rioris inquam tribunalis, aut habentium curam  
Regiæ Gaze; de quâ apud Tribunalia dicta ſunt  
rationem redditori. Sicut e conuerſo Regij Offi-  
ciales nequeunt cum filiabus aut ſororibus Ratio-  
narium maiorum per nuptias copulari. Quæ pro-  
hibito extenditur ad filios, & filias eorundem  
inter ſe: vt neque Rationalis filius Officialis filix,  
aut filius Officialis filix Rationalis poſſint matri-  
monio jungi, ni velint Officiis irremiſſibilis ſen-  
tentia executione priuari. Circa quod ea, quæ  
de Auditoribus diximus Cap. 16. præcedentis Ti-  
tuli conſulenda: juxta eam enim partem, quæ  
prohibito vrget, idem eſt de præſatis aſſeren-  
dum, ſed quia in prohibitione horum aliqua ſpe-  
cialia ſunt, ea breuiter exponenda. Poſſunt Ra-  
tionarii maiores coniugium inire intra diſtictum  
iuriſdictionis ſuæ, quòd tamen Auditoribus de-  
negatum, quia in illis ratio diuerſa eſt: diſtictus  
enim Audiētis ſuos habet limites, extra quos  
facile eſt vxores dignas inuenire: at Rationalium  
maiorum diſtictus ampliffimus eſt, & totum re-  
gnum comprehendit; vnde valde difficile illis eſſet  
vxores aliunde ſibi exportare.

Quid circa  
illa liceat.

Tener pro-  
hibitiua.

10 Deinde cum lex dicat ſic: *Porta presente  
prohibo y defendo à los mis Contradores de quentas, que  
al presente son, y adelante fueren de los dichos Tribuna-  
les, el caſarſe conſibilas, Hermanas ó deudas dentro del  
quarto grado de los dichos oficiales de mi hacienda de las  
capas de ſus diſtritos, ni de perſonas, que ſonzan à cargo  
hacienda Real, de que ayan de dar quenta en los dichos  
Tribunales &c.* Dubium eſſe poſteſt quid voce illâ  
Deudas intelligatur. Deudas enim communiter  
dicimus ſe atinentes conſanguinitate, aut affini-  
tate, & videtur durum illam ſic extendere, vt ne-  
queat vnus aliquis ex dictis cum ſobrînâ vxoris  
alterius in quarto gradu ſibi affini matrimonium

Deudas  
quid in ea  
diſtingunt.

Theſauri Indici. Tom. 1.

celebrare; cum poſſit in quinto cum conſanguini-  
tate, quòd vinculum ſtrictius eſt, vnde hæredes  
eſſe conſanguinei ab intetato poſſunt vſque ad  
decimum gradum, juxta ea, quæ adducit Dom.  
Solorzanus Lib. 4. Cap. 7. numer. 41. cum tamen  
affines neque in gradibus proximioribus tales  
eſſe poſſint. Vnde vrgentior videtur eſſe ratio  
conſanguinitatis, quia ſanguis juxta vulgare pro-  
uerbium noſtrum ſine igne feruet. Videtur etiam  
vox Deudas conſanguineos præſertim designare,  
& ita in lege pœnali non eſt ad ſignificationem  
non ita propriam extendenda, juxta receptam de  
legibus huiusmodi doctrinam, quòd obligatio  
in illis minima eſſe debeat, & ita faciendam inter-  
pretationem; quia non eſt inducenda obligatio  
ſine manifeſtâ ratione. Pro quo videri poſſunt  
Emmanuel Rodericus Tomo 1. qq. regul. quæſt. 11.  
art. 6. verſ. Prima regula, numer. 2. P. Thomas San-  
cius Lib. 1. de Matrimonio Diſput. 9. numer. 11. P.  
Salas Diſput. 21. de legibus quæſt. 3. verſ. Octava re-  
gula. Sayrus in Clauſi regia lib. 3. cap. 8. Bonacina  
Tomo 2. Diſput. 1. Quæſt. 1. Puncto 8. numer. 8. qui,  
& numer. 19. & 20. magis in ſpecie calus noſtri lo-  
quitur. P. Palaus Tom. 1. Tractat. 3. Diſputat. 7.  
Puncto 3. 5. 3. & alii. Quæ quidem partem hanc  
videntur verofiſſimè oſtendere, vt qui ita fecerit,  
non debeat rigorem legis experiri. Sed quia res  
eſt dubia, & iudicium Regiorum Senatorum an-  
ceps, non erit expediens periculo ſe priuationis  
exponere, qui velit ſe in officio conſeruare.

Legis pœ-  
nalis beni-  
gna inter-  
pretatio  
facienda.

Cum Pra-  
torum co-  
gnatus vt  
prohibea-  
tur conu-  
bium.

Non ſic Of-  
ficialium  
S. Crucia-  
te.

11 Præterea, cum prohibito ſe extendat ad  
eos, qui Regij patrimonij partem aliquam con-  
tractant, de qua apud præſatos miniſtros reddi-  
turi ſunt rationem, ſit ex eo, cum Prætorum filia-  
bus aut ſororibus, conſanguineisque non poſſe  
contrahi matrimonium; quia illi Gazam Regiam  
contractant, & rationem ſunt de illâ apud præ-  
ſatos redditori. Redditâ autem, impedimentum  
ceſſat, etiam ſi credantur habituri officia alia cum  
eadem cura, quia lex de præſenti loquitur, *Que  
tengan à cargo hacienda &c.* ſi non etiam ſint ratio-  
nem redditori in ipſis Tribunalibus, prohibito  
non vrget. Vnde cum filiabus, & ſororibus Offi-  
cialium S. Cruciatæ, & e conuerſo, conubia  
celebrari poſſint; quia illi non reddunt rationem  
in Tribunali, de quo loquimur. Et licet contingat  
aliquem ex prædictis miniſtris in Tribunali  
S. Cruciatæ aliquando intereſſe, vbi de Gaza  
Regiâ agit; cum illud Tribunal non ſit ſuum,  
pro eo non extat prohibitio, cum expreſſè dicat  
lex, *Que ayan de dar quenta en los dichos Tribunales.*  
Vbi, & alia quæri poſſunt: ſed cum ex dictis ci-  
tato Cap. 16. habeatur quòd ad negotium con-  
ſcientiæ ſpectat, in illis non eſt cur oporteat im-  
morari.

CAPVT II.

De Officialibus Regiis minorum Tri-  
bunalium, & Primò circa munerum  
acceptationem.

12 Periculoſa plenum opus aleæ iſti pertra-  
ctant, quia omnis Regia Gaza per  
eorum tranſit manus, & ipſi arcarum  
clauſes tenent, in quibus illa aſſeruat. Eſt autem  
vicioſa pecunia, & ita cauiffimos, & delicatiſſi-  
mos

Officiali-  
um minoris tri-  
bunaliſ pa-  
riculorum  
officium, &c.